

Istuc mecum semper agito: non vos, cives, illum virum,  
 Verum Karthaginenses examinare cogitant;  
 Vos hunc extruditis modo, quia timetis Regulum.  
 TU. Ohe, iam multumst! — SEX. Istuc non feremus. — PO. Nunquam  
 [gentium!]

PU. Sic fiet. Multi praedican hoc sacrificium  
 Salute publica communi postularier,  
 Ilique sic aiunt, quos Romani merito colunt;  
 Ego tamen illorum sensus non intellego  
 Meusque animus his reclamat; nam semper arbitratus sum  
 Homines idcirco iunctos esse vinculis civilibus.  
 Omnes ut praestarent salutem cives unius.  
 Ergo fiat, quod postulat civile officium.  
 E civibus oportet neminem eici, donec manet  
 Civili iure dignus. Iam qui dicit Regulum  
 Hunc captivom civili iure indignum, prodeat.  
 CR. Quis hoc, Quirites, audet? — PO. Nemo, nemo hoc audet.  
 PU. Meus pater est vir is meritissimus; quis hoc negat?  
 Quare non est opus me loqui de eius magnitudine;  
 Modo de illius vostri amore dicere paucis volo.  
 Advortite sultis animum. Nam scitis nostrum praedium  
 Satis angustis finiri finibus, quod tamen  
 Ille incultum liquit eoque festine profectus est,  
 In quem locum vostro vocabatur desiderio.  
 Quom coniugem liberosque amet, tamen multo vos amplius.  
 Minume quidem latebat illum nos, si ipsus discesserit,  
 Vitam miseram tracturos, quamvis vulnerato pectore  
 Oculis madidis et lacrumentibus nos intuens,  
 Suom tamen quod erat, istuc officium sequutus est.  
 Quam praedam ex oppidis sexcentis accumulaverat  
 Instar montis alti, diis Romanis obtulit;  
 Vobis dedit, non nobis. Ditiones, quam ante, non sumus.  
 Auditin? amorem adsiduom sic remuneramini?  
 SEX. Auditin, cives? amorem sicine remuneramini?  
 PU. Gratis magnas ago vobis, magnanimi viri,  
 Meam quod aestumare potestis amaritudinem.  
 Meis quidem verbis taciti ac lubenter animum advortitis,  
 Ego tamen lapidem me verberare sentio probe;  
 Aiunt enim: erunt si captivei dimissi liberi,  
 Russum bellum, quod iam saevire desierat, incipiet  
 Et vobis omnibus magnum accidet incommodum.  
 Ergo protervitatis est a vobis concupiscere,  
 Ut propter istunc unum vos omnes patiamini.  
 CR. Nos omnes hoc volumus. — TU. Volumus. — PO. Volumus quidem.


(Ad proximum numerum)

# ALMA ROMA

QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

*Pauca exemplaria reperta sunt*  
IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,  
cui titulus:

## EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;  
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI  
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud  
ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV Romae, mense Augusto et Septembri MCMXXXVIII Fasc. VIII-IX

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad Iosephum Fornari doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

### EX LITTERIS SINICIS

#### De carminibus regni Chuu

Vetustissima Sinensium poësis tota ferme deperiit. Carmina, quae collecta leguntur in libro Odarum, specimina continent poëmatum quindecim regnum a saeculo x ad v a. C. n. Indoles horum carminum varia est. A Sinensibus in quatuor libros dividuntur iuxta cuiusque libri naturam. Primus qui «Regnorum Mores» audit, et omnium pulcherrimus mihi videatur, multas cantiunculas, carmina convivalia et elegias continet. Secundus «Humile decorum», festa principum enarrat et aliquando eorum gesta celebrat; tertius, «Summum Decorum», exhibit fragmenta poëseos epicae, nam totus est in celebrandis meritis fundatoris regiae domus Tchou aliorumque imperatorum et regum. Quartus, qui «Praeconia» inscribitur, comprehendit carmina sacra sive in maiorum cultu, sive ad abundantes segetes precandas, sive in aliis sacrificiis cani solita.

Impossibile ferme dictu est quantum litterati Sinenses in hunc librum explanandum adlaboraverint; ast, proh dolor! non semper felici exitu. Quum multa alia poë-

mata, quae antiquiora illis in hac sylloge contentis habebantur, certo falsa sint, Odae absque dubio speciem exhibent antiquae poëseos Sinicae simplici quandoque rudi ornatae rhythmo, ast sententiis allegoriisque insignis. Tum hae Odae, cum Carmina popularia regni Chuu, quorum sex adhuc supersunt, originem dederunt Carminibus Chuu, de quibus nunc nobis est sermo.

Carmina regni Chuu, quod est nomen antiqui regni (a 600 ad 222 a. C. n.) hodiernis provinciis Hunan Hupe Kiangsi et parti Honan respondens, si metricon specces, molliorem, velociorem et dulciorem reddunt formam poëseos antiquae, si argumentum profecto magis varium, nobilius et profundius dicendum est in Carminibus Chuu quam in Odis; hisce de causis auctoritas horum Carminum in posteriora poëmata, in fabulas milesias, in actiones dramaticas permagna fuit. Quinimo et hodie quoque silentes hos et puros latices plagae australis omnes degustant, qui melleo ore loqui cupiunt. Et merito, nam pii horum carminum vates, qui digna Phoebo loquuti sunt, vocantur: KiuYuen, Song-Yu et Kia-Y. De Kiu-Yuen quaedam dicam. Si quis plura de eo scire desiderat adire potest horum carminum volumen primum italicico conscriptum eloquio, ubi ni-

mis copiose forsan de tota hac quaestione disserui.<sup>1</sup>

Kiu-Yuen circa annum 340 vel 330 a. C. genere regio natus et honestissime institutus, vix trigesimum annum agens minister Hoai regis Chuu renuntiatus est. Rex tam magni illum ab initio fecerat, ut constitutionem regni illi componendam commiserit; verisimile est hac de causa aemulos illi invidentes, ministrum apud regem accusasse ac si insolentius se iactans dignitatem principis despiciatui haberet. Quibus Hoai aures praebens virum probum et iustum omni potestate destituit. Nihilominus patriae caritate ductus Kiu-Yuen non destitit regem admonere, ne in retia regni Ts'in laberetur. Quod pro impletum est; nam regnum Ts'in summam imperii potestatem concupiscens, primo foedus, quod regnum Chuu et regnum Tsi fecerant, fregit, dein contra Chuu castra movit, quod regnum subdole et atrociter debellavit usque dum anno 222 a. C. omnino oppressit. Regi Hoai mortuo, filius successit, King Hsiang nomine, qui fuit magis infensus Kiu-Yuen, quippe cui noster liberrime exilium et mortem genitoris patria extorris vehementer exprobaret. Quam accusationem King Hsiang aegre ferens, illi aqua et igni interdixit.

Inter carmina Chuu duo extant poëmata historico proemio instructa, quae ab hodiernis criticis non amplius ipsi Kiu-Yuen, sed sequioris aevi cuidam ignoto cantori adscribuntur. Aliqua ex eis excerpere me iuvat tum quia vitam vatis tempore exilii describunt, cum propter religiosum illud argumentum, quod et magnam quaestionem continet in ipso libro Job exagitatum: Cur iustus patiatur et improbus exaltetur? — Vates petit ab ariolo:

«An debeam recte stare super ceteros ut veritatem servem, an potius fucata

<sup>1</sup> Volumen hoc Shanghai editum inscribitur: *Le Rapsodie di Chuu. Vol. I. Incontro al Dolore: Introduzione. Versione e Commento.*

verba proferre velut lactens infantulus ad obsequendum mulierculis?

Recta ne verba faciam nil celando etiamsi vita agatur, an sequar mores dicitum nobiliumque ut tranquillos dies ducam?»

Cui ariolus hisce similibusque quaestionibus respondere non est ausus, fatens adesse in mundo mysteria, quae sapientiam hominum superent.

Argumentum alterius poëmatii, quod «Piscator» inscribitur, haud multum ab hoc differt. Piscator tristem macilentumque vatem interrogat, quinam sit quidque velit; cui poëta respondit se in exilium pulsum esse eo quod iustitiam amando sibi improborum hominum invidiam concitataverit; tamen iam statutum habere nunquam, licet mors sibi immineat, a virtutis tramite se recessurum.

Quibus auditis, piscator risit et vela pandens abiit cantitando:

*Quando fluvii undae purae sunt,  
In eis lavo mea vela,  
Quando vero sunt turbidae,  
In eis meos lavo pedes.*

Ita per decem annos errabundus vivens novasque acerbitates patriae imminere praesentiens, nolens amplius cum adversa fortuna conflictari, in fluvium Milo sese proiciendo, vita lamentabili fato cessit, aetatis suae anno sexagesimo iuxta probabilem sententiam. Ast, sicut pro Alighiero nestro, ita et pro Kiu-Yuen exilium causa fuit ut pulcherrima poëmata componeret et nonnulla carmina sacra emendaret.

Carmina emendata inscribuntur: «Novem Cantiones», quum reapse undecim sint, propter numerorum religionem. Composuit quoque: «Novem elegiae», «Quaeſtiones Caelestes», forsan «Imploratio animae» et famosissimum «Li-Sao», quod «Tristia exilii» verti potest. Hoc poëma ad lyricum genus pertinens propter sententiarum splendorem et nobilitatem recte odis Pindari a praeclaro H. Giles comparatum est. Ut italicus e patriis literis quid simile proponam, mihi placet

illum conferre carmini Hugonis Foscolo «De sepulchrīs» propter eloquii granditatem et frequentissimas significaciones sive ex historia, sive e mytologia decertas.

Vate mortuo, haud pauci illum imitati sunt; qui tamen usque nunc omnium comparationem vincit. Song-Yu, qui eius nepos fuisse traditur, venustior est, at illi cedit propter vim dicendi; Kia-Y, cuius vita simillima est vitae nostri, dulcior est in sermone, at communior in sententiis. Gens Sinica hunc suum nobilem vatem valde diligit et quotannis die quinta mensis quinti iuxta Kalendarium lunare, quae die noster creditur fato cessisse, certamine cymbarum instituto, eius memoriam celebrat. Haud plures ante annos, more antiquorum, populares homines cucullos oriae in fluvios et lacus proiciebant ad illius animum placandum.

Herodotus Sinarum Se-matsien quum regnum Chuu inviseret memorias colligens ad Annales suos conscribendos, ait: «Veni in regnum Chuu et vidi gurgites Mi-lo, ubi Kiu-Yuen sese demersit; tunc flevi talem virum memorans»; Li-Pe vero, qui maximus habetur Sinensium poëta tempore regiae domus Tang, scribit: «Carmina Kiu-Yuen sole et luna suspenduntur»; i. e. fulgori solis et dulci luminis lunae carmina Kiu-Yuen comparari possunt.

Heng-Sang, e Seminar. Ssñi Cordis.

G. M. ALEGRA, O. F. M.

## HISTORICAE NOTAE

### Urbis Romae exordia<sup>1</sup>

Iam urbes latinae, quae e collibus Albanis ad Tiberinos primos miserunt incolas, primos dederunt vicos, ex quibus urbem deinde conflatam in foedus latum excepérunt, hanc parvulam filiam

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

in dies magis nec sine invidia succrescentem mirantur, novis auctam et Sabinis et Etruscis elementis; quibus amice conspirantibus eamdem augeri, ordinari, constitui in veram civitatis formam ac rationem: dixeris Urbis fata regali certo quodam instinctu divinitata, quam gentes, quae eo confluunt, nova quidem elementa afferunt, sed eaedem absorbentur in novam gentem, gentem latinam. Ita inter nobilissimas recentioris urbis gentes, eas habes quae ortum duxere e Volscis, Auruncis, Siculis, Sabinis, Rutulis, Etruscis; e familiis nobilissimis Iulias, Serviliae, Tullias, Gegani, Quintios, Curiatios, Cloelios, quae originem petunt ac Alba Longa.

Apii, Postumii, Valerii verius, Fabii, Calpurnii feruntur descendisse a Numa, unde a Sabinis; Furii et Ostilii a Medullia in Latio; Octavii a Veliternis; Cilnii (inter quos Maecenas *atavis editus regis*) et Licinii ex Arretio etrusca; Caecinii item ex etrusca Volaterra; Vaetii ex Umbra urbe Clusiis; Pomponii, Papii, Coponii item ex Etruria; Corumani et Sulpicii ex Umbra Camerte; Portii, Mamili, a Tusculo.

Duo tantum ex Romanis clarissimi scriptores vere Romani fuere: Lucretius et Caesar; sed Horatius ex Apulis, Ennius e Messapiis, Plautus ac Tacitus ex Umbbris, Sallustius Sabinus, Natus Eleas, Naevius Campanus, Vergilius Mantuanus (Celta), Cicero Volscus, uti Marius, Ovidius Pelignus, Cato Tusculanus, Titus Livius Patavinus, Plinii Comacenses (Insubri), Catullus Veronensis, Terentius Afer (Punicus).

Etruria Urbi dedit divisionem civilem in tribus, curias, centurias; ordinem aciesque bellandi; magistratum potiora insignia: laticlaviū, togam praetextam, apicem, sedias curules, lictores, triumphos, ludos, nundinas, auguralia mystria, civitatis religionem.

Latium dedit dictatores, praetores, ius faeciale, religiones agrorum, cultum Saturni agris protegendi, et cultum Diana, Solis, Lunae, Iani bifrontis, lingamque moresque, simplicitatemque agrestem.

Sabini et Samnites imperatoris nomen, arma, sagittas, severos religionis mores et bellicos deos. Romulus et Tullius Latini, Numa et Ancus Sabini, Servius et Tarquinii Etrusci sunt.

\*\*\*

Quodsi ad Latii, imprimisque Romae, civilem constitutionem inspiciendam proprius accedere volumus, in memoriam prae primis revocandum est ius tum publicum civitatis cuiusque, cum etiam privatum a condicione et statu oeconomico, magnam partem saltem, pendere, qui et a soli natura ubertateque et ab incolarum indole potiora sumit elementa.

Age vero, quum Indo-europeae primae migrationes Latii regionem primum ingressae sunt, eam reppererunt iam a primis populis occupatam, inter virentia nemora et arva vicatim dispositis. Traditione plura nobis refert nemora sacra; nemora sylvasque memorat Theophrastus late Latium occupantia, quam regionem totam ditissimam ligno dicit. Ibi aëris tempesties pura, lenis; crebrisque imbris solum foecundatum. Omnia ad agri culturam aptissima: facile igitur incolae illi antiquissimi, post immigrationem terricolarum, qui agriculturam noverant, agris colendis sese applicuerunt, aquis derivandis, regendis, siccandis, segetibus serendis. Prata Dionysius Halicarn. scribit ibi latissime semper hiemeque aestateque virentia. Inter cerealia primum locum obtinuit far, quod ad sollemnia et iuris et sacrorum adhibitum usque ad historica tempora scimus; unde «confarreatio» in contractibus, «adorea» militi victoriae die donata; «puls fritilla» in sacris ritibus. Panem triticum a Picenis acceptum

Latini semper tenuere. Ex arboribus primum fortasse fructiferae cultae sunt facilius; ita ficus, quae sacra Romanis fuit; dein olea, quae a Iapigis ad Sabinos, indeque ad Latinos devenit; vitis etiam, siquidem uvae semina reperta aliquot ab hinc annis sunt in sepulcreto Fori, licet non late; nam et vinum habitum fuit uti farmacum, et in libationibus montis Albani non vinum, sed lac adhibebatur.

Hoc praecipuum et communius alimento, non vero exclusis carnibus; unde amplissima et ditissima armenta, ovium praesertim, ex quibus et lanam et pelles sumebant. Bos fere omnino ad arandum adhibitum; ideo Plinius refert vetitum fuisse bovem ad arandum aptum necari. Quae innuunt agrorum culturae praevaluisse armentorum curam atque industriam.

Sed mox, immigrantibus hinc Sabinis, inde Etruscis, ratio haec tenorque vitae pastoralis in agricolam et militarem magis inclinat, uti kalendarium et indolem agrariam primaevae religionis non obscurare indicant. Scimus enim a Plinio Porrennam abstulisse Romanis devictis arma, reliquise tamen aratra et ligones.

Domicilia pristina in vicos coadunata super tutioribus montibus vel collibus, nonnihi humiles casae ex lignis fuere, palaeis plerumque obiectae: in agro romano a pastoribus exstruuntur ac nectuntur: ea erat et «casa Romulea», quae per longa tempora religiosissime servata est in monte Palatino. Quod casarum genus, licet et saxa aedificia dein aedificari coepit, permansit tamen, saltem in domiciliis privatis, usque ad incendium Gallorum et Pyrrhi.

Urbium munimenta nonnisi aggeres terrei erant; siquidem scriptores Romani commemorent «murum terreum Carinorum». Etrusci deinde, praesertim quum Romae praevaluerunt, novam exstruendi artem docuerunt lapideam tum in operibus

communiendarum urbium, cum in aedificiis publicis et privatis. Quumque in sepulcris quae in lucem rediere tam Praeneste cum Caerete vasa Phoenicia reperta sint aut argentea, aut aurea, aut eburnea insculpta, et torques vitrei et amuleta Aegyptia, atque una simul vasa praecorinthia, quumque haec sepulcra ante saec. vii reducenda sint, facile concludimus iamtum Etruscos commercia fuisse cum his populis orientalibus; nec tantum Etruscos, sed e Latinis Praeneste et Caeres, quae Etruscis erant proprii. Quum autem haec vasa in sepulcris latinis eiusdem temporis minime reperiantur, concludendum pariter est Latinos, si Praenestis et Caeretis incolas exceperis, nondum e vita rustica et agresti exiisse.

Neque id nocuit; quinimo ex hoc vitae genere suam Latum animam indolemque efformat: austera, piem, iustum, parvo contentam, laborum patientem ac nullimode timentem periculorum.

S. ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De ordine inverso

a) Quod primum et praecipuum in mente est, id primum quoque exprimitur.

EXEMPLA: *Aëra spiritu ducimus* (CIC.) — *Aestate grave est aureum amiculum, hieme frigidum* (CIC.) — *Dari bonum quod potuit, auferri potest* (PUB. SYR.) — *Illum tu otiosum vocas!* (SEN.) — *Magna vis urorum est et magna velocitas* (CAES.) — *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum* (SEN.) — *Hoc labores suos dulci obiectabat solatio* (SEN.) — *Haec sunt duo exempla eius fiduciae* (AUL. GELL.) — *Paucis diebus consulatum gesit Vatinius* (MACR.) — *Eripit et extor-*

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

quebit tibi ista populus Romanus (CIC.) — *Acerrime deliciae meae, Dicaearchus, contra immortalitatem disseruit* (CIC.) — *Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit* (CIC.) — *Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, extinctum esse voluerunt* (CIC., Leg. Man. 5, 14.) — *Evolaverat iam e conspectu fugiens quadrimis* (CIC.) — *Fuit ista quondam in hac re publico virtus* (CIC.) — *Malim ego mori quam quidquam adversus Deum peccare* — *Aliud si scirem sanctius quam iusiurandum, id pollicerer tibi* (CIC.) — *Puras Deus, non plenas adspicit manus* (PUB. SYR.) — *Cernebatur contra minitabundus Arminius* (TAC.) — *Me, me, adsum qui feci; in me convertite ferrum* (VERG.) — *Nunc terminus Britanniae patet* (TAC.).

b) Si in duabus vocibus vis maior inest, saepe altera in principio, altera in exitu legitur.

ELEMPA: *Meum in nugis non ponam studium* — *Litterarum tuarum admiratur elegantiam* — *Urgentia circumstant vitia undique* (SEN.) — *Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia* (CIC.) — *Fabellarum auditione ducuntur pueri* (CIC.) — *Suae pristinae virtutis retinerent memoriam* (CAES.) — *Soli sunt cantare periti Arcades* (VERG., Eclog., X, 32) — *Dulce et decorum est pro patria mori* (HOR., Od. III, 2, 13) — *Magnum negotium est navigare* (CIC.) — *Omnes civitates in partes divisae sunt duas* (CAES.) — *Nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romanii* (TAC.) — *Tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis!* (TIT. LIV.) — *Flebunt Germanicum etiam ignoti* (TAC., Ann. II, 71) — *Male vivet quisquis nesciet mori bene* (PUB. SYR.) — *Maximum ornatum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam* (CIC.).

### De quibusdam vocibus iterandis

a) Iteratur vocabulum quotiescumque hoc in eum finem requiritur, ut elocutio

fiat perspicua aut expressa, imprimis in oppositionibus. Sic, quum alterutrum oppositum est negativum, saepe iterant verbum.

**EXEMPLA:** Quam multa, quae nostra causa nunquam faceremus, facimus *causa* amicorum (CIC.) — Quae *scelere* pacta est, *scelere* rumpetur fides (SEN., *Tr. Med.* 55) — Omnia possideat, non possidet aera Minos (OV.) — Legendi semper occasio est, audiendi non semper (P. I., 2, 3) — Mathematicorum iste mos est, non est philosophorum (CIC.) — Hoc pueri possunt, viri non possunt (CIC.) — Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat; at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat (CIC.) — Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt (PLAUT.) — Iste, omnia quae requisivit, non ut conservaret, verum ut asportaret, requisivit (CIC., *Sign.*, 131) — Homo vitae commodatus est, non datus est (PUB. SYR.) — Videtis ut seneccus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid (CIC.) — Capras et oves quot quisque habeat dicere potest, amicos quot habeat non potest — Si amitti beata vita potest, beata esse non potest — Cupiditati nihil est satis; naturae satis est etiam parum (SEN., *Cons. ad Helv.*, II, 2) — Quod sors feret, feremus aequo animo (TER.) — Sed, inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisses non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quasi non essent viriles, sic illam orationem disertam sibi et oratorium videri, fortem et virilem non videri (CIC., *De Or.*, 1, 54).

b) Antecedens quandoque post relativum iteratur. Potest etiam post relativum usurpari substantivum antecedenti logice appositum.

**EXEMPLA:** Bellum tantum, quo bello omnes premebantur, Pompeius confecit (CIC.) — Nullo modo animus audientis

aut incitari aut leniri potest, qui *modus* a me non tentatus sit (CIC.) — Dies instabat, qua die frumentum militibus metiri oportebat — *Diem* dicunt Helvetii, qua die ad ripam Rhodani omnes convenient (CAES.) — Oratoris officium est de his *rebus* posse dicere quae *res* ad usum civilem moribus ac legibus constitutae sunt, cum assensione auditorum (CIC.) — Samnites *Maleventum*, cui nunc *urbi* Beneventum nomen est, perfugerunt (TIT. LIV.) — *Cumae*, quam Graeci tum *urbem* tenebant, capiuntur (TIT. LIV.) — Philippus Oetolos desertos ab *Romanis*, cui uni fidebant *auxilio*, subegit (TIT. LIV.) — Omnibus his *rebus* confectis, quarum *rerum* causa exercitum transducere constituerat, se in Galliam recepit (CAES., *Bel. gal.* IV, 19) — *Leges* paratae sunt, quibus *legibus* exilium damnatis permissum est (SALL., *Cat.*, 51).

c) Qum enumerantur plures notiones aut sententiae, Latini non raro iterant conjunctionem copulativam aut adverbium quod coniunctionis huiusmodi vices gerit.

**EXEMPLA:** Musica et excitat languentes et languefacit excitatos et tum remittit animos, tum contrahit (CIC.) — Animal nullum inveniri potest quod neque natum unquam sit, et semper sit futurum (CIC.) — Virtus nec eripi nec subripi potest; neque naufragio neque incendio amittitur (CIC.) — Quum omnium rerum simulatio vitiosa est, tum amicitiae repugnat maxime (CIC.) — Themistocles cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses (CORN. NEP.) — Tum hoc tum illuc volant alites, tum in hac tum in illa parte se occultant, tum a dextra tum a sinistra parte canunt oscines (CIC.) — Feras beluas nanciscimur venando ut et vescamur iis et exerceamur in venando — Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt (TAC., *Hist.* IV, 74) — Et facere et pati fortia Romanum est


(TIT. LIV.) — Hannibal peto pacem, qui neque peterem, nisi inutilem putarem, et propter eamdem utilitatem tuebor eam, propter quam petii (TIT. LIV.) — Convenit cum dando munificum esse, tum exigendo non acerbum (CIC.) — Id cum tua, tum mea causa facias a te peto (CIC.) — Socrati non tum hoc tum illud, sed idem semper videbatur (CIC.) — Nunc in liminibus stabant, nunc errabundi domos suas pervagabantur (TIT. LIV.) — Tribuni plebis nunc fraudem, nunc neglegentiam consulum accusabant (TIT. LIV.) — Hostibus moris est nunc rigentia gelu flumina, nunc liquida ac deferentia, lustrare navigiis (P. I.) — Per exploratores Caesar cognovit et montem a suis teneri, et Helvetios castra movisse, et Considium, timore perterritum, quod non vidisset pro viso sibi renuntiassae (CAES., *Bel. gal.* I, 22) — Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare potest (CIC.) — Rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti (SALL.) — At morbi et perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis (CIC.) — Sapientem civem me et esse et numerari volo (CIC.) — Cato et agricola solers et reipublicae peritus et iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit (CORN. NEP.) — Mollis educatio nervos omnes et mentis et corporis frangit (QUINT.) — Omnes boni a nobis omnem diligentiam virtutemque et postulent et exspectent (CIC.) — Volo et esse et haberi gratus (CIC.) — Neque stultorum quisquam beatus, neque sapientium non beatus (CIC.) — Et ludi decem per dies facti sunt, neque ulla res quae ad placandos deos pertineret praetermissa est (CIC.) — Illud profecto perficiam, ut neque bonus quisquam intereat, paucorumque poena vos omnes salvi esse possitis (CIC.) — Publio tuo neque opera neque consilio neque labore neque gratia neque testimonio defui (CIC.) — Hoc ge-

nus cupiditatum nec ad potiendum difficile est nec vero ad carendum (CIC.) — Hisenes et libidinum vinclis se laxatos esse non moleste ferebant nec a suis despiciabantur (CIC.) — Natura animi atque vis neque nata certe est et æterna est (CIC.) — Nec illa extincta sunt alunturque potius et augentur cogitatione (CIC.) — Nec ephori Lacedaemonie sine causa oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni (CIC.).

#### De comparativo

Vis comparativi quibusdam adiectis vocibus augetur, aut etiam minuitur.

**EXEMPLA:** Alexander consedit in regia sella, *multo excelsiore* quam pro habitu corporis (Q. CURT.) — Alterum iter, per provinciam nostram, erat *multo difficilius* (CAES.) — Patria mihi vita mea multo est carior (CIC.) — Tibi, *multo maiori* quam Africanus fuit, tamen non *multo minorem* me quam Laelium facile et in republica et in amicitia adjunctum esse patere (CIC.) — Omnia *longe ampliora* quam a me praedicantur invenies (PLIN.) — *Multo pauciores* sunt oratores quam poëtae (CIC.) — *Nihilo plus* accipies quam qui nihil portarit (HOR.) — Tibi persuade, esse te quidem mihi carissimum, sed *multo fore cariorem*, si bonis praecepsit laetabere (CIC.) — *Nihilo* erat cyclops, quam aries ille, quocum colloquebatur, *prudentior* (CIC.) — Caesar in Italiam se recepit eamque *longe* quam speraverat *tumultuosior* reperit (VEL. PAT.) — Marius cum *maiore aliquanto* numero quam decretum erat in Africam profectus est (SALL.) — Stoici mihi videntur fines officiorum *paulo longius* quam natura vellet protulisse (CIC.) — *Quanto* mihi illud erit *amabilius!* (CIC.) — Erat id mihi *multo brevius multoque commodius* (CIC.) — Exspecto tuas litteras de multis rebus, te ipsum *multo magis* (CIC.) — *Paulo facilis* putavi posse me ferre desiderium tui (CIC.) — Quia *paulo incautius* custodias



in muro dispositas videbat, suos quoque languidius in opere versari iussit (CAES.) — Atheniensium res gestae satis ampliae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur (SALL.) — Caligula perit, ingentia facinora ausus, et aliquanto maiora molliens (SUET.) — Me nihil minus honoris cupido vexabat (SALL.).

(Ad proximum numerum).

I. JSS.

## De invalescente incuria legum prosodiacarum et metricarum

*Nomina sunt odiosa.*

Quamquam post bellum apud plerasque Europae civitates studium linguae Latinae angustioribus terminis circumscriptum est, tamen Latina poësis cum cis Alpes tum trans Alpes laetius efflorescit. At dolendum est nonnullos poëtas Transalpinos vilipendere leges prosodiacas et metricas atque iusto saepius in eas peccare. Ante tres fere annos philologus, qui in studiis linguarum antiquarum conseruit, volumen versuum edidit, cuius prima stropha Sapphica ita est conformata:

*Cui stravit senecta nivem in capillos indelebili ex oculis micante inventutis luce: deorum amorem hunc celebremus.*

Qui in legibus prosodiacis et metricis paulo versatior est, facile intra hos quatuor versiculos sexies detegit syllabam brevem per vim produci aut longam corripi. Nec meliores sunt strophae sequentes, nec meliora sunt carmina, quae excipiunt hoc primum poëma Sapphicum invitum Musis compositum. Huic senili specimini poëtico opponere libet iuvenile — ne dicam puerile — opus, quo matutinum tempus veris hunc in modum celebratur:

ARISTARCHUS.

*Facilius est de alienis iudicare, quam de suis.*

LACTANTIUS.

*Luctuosa nocte soluta roseae aurorae lux lente rubescit prima atque ardet, flammat viridis montis iam candida cuspis.*

*Luna currit purpureo de caelo inter colles caeruleos et molem celse lumen assiduum nunc tollit: vita moveatur....*

Si iam poëtae condonamus neglectas caesuras, nequaquam ei condonare possumus duodecim (!) menda prosodia. Et talium specimen largam messem colligere possumus e litteris Latinis ultimi decennii. Errare humanum est: etiam apud praestantissimos Parnassi Latini cultores saeculi XVI et XVII passim unum alterumve errorem deprehendimus, neque immortalis Pascoli versus omnis labis expertes sunt. Sed tot menda, quot insunt in exemplis superioribus, non sunt toleranda. Alioquin poësis Latina recentior sublato syllabarum longarum et brevium discrimine recidet in aevi medii barbariem.

Cui incommodo ita est occurendum: Si quis versus Latinos facturus est, primum discat praecepta prosodiae et metricae, quae exhibent vel libri scholastici, in tironum usum conscripti. Deinde legat et relegat clara voce exquisitos versus poëtarum melioris notae et antiquorum et recentium, ut eorum numeris aures assuefaciat. Hoc tirocinio rite posito, tandem ad primos versus « proprio Marte » cudentos se accingat. Ubi autem cupidus eum incesserit primitias Musae suae e latebris in lucem proferendi, iterum atque iterum eas examinet, ne quid vitiosi subsit, et examinatas perpoliat. Item eas recensendas offerat criticis rei gnaris, qui quidem incorrupto sint iudicio, eorumque obsequatur consiliis. Sic demum prodibunt carmina, quibus vel ipsi Manes Catulli et Horatii merito plaudant!

ARISTARCHUS.

*Facilius est de alienis iudicare, quam de suis.*

LACTANTIUS.

## COMMUNIA VITAE CIRCULATOR IN NUNDINIS

CARMEN VICTORII GENOVESI S. I.

in certamine poëtico Hoeufftiano an. MCMXXXVII magna laude ornatum

*Impar grandiloquae Musae, communia vitae conclusa exhibeo, lector amice, metro.  
Ardua Pegasei timui descendere montis,  
me tenui et plateas iuvit obire lyra.  
Obvia propterea quandoque vocabula fient,  
Flaccus quae merito respueretque Maro.  
Excipe sed, quaeso, vultu tentamen amico,  
nupera me Latiis concinuisse modis.*

CIRCULATOR.

*Huc, propere, cives! paulum consistite,  
[quaeso!  
Prostant omne genus venalia. Mira coëgi  
exhibeo et vobis, quae nostra vel extera nuper  
ars tulit inventrix. Domui de tempore vestrae  
consulite; impensis coëmetis plurima paucis,  
improba namque fames parvi me vendere cogit.  
Heus! quid cessatis? Volat irrevocabilis hora,  
dum licet, instabilis fortunae carpite dona.*

*Gnava, domus, mulier, parvae curare ni-  
[torem  
te decet imprimis, ut pace fruari amica.  
Iurgia multiplicat secura domestica saepe  
munditiae mulier. Quondam sub vesperi stlop-  
[pus  
femmineumque meas lamentum perculit aures.  
Non est cur causam scriteris: scilicet uxor  
verbera plorabat socors experta mariti.  
Fulgeat usque tuis tectis exculta supellex,  
instrue conditis daphibus bene sedula mensam  
et minime patiere viri maledicta minacis.  
Cum digesta domi videt ordine cuncta, saporae  
atque supinatur nasum nidore coquinae,  
iracundus agro rediens fabricave strepenti  
mansuescat facilis, subito fera corda resident  
et tibi constanti magis afficietur amore.  
Sin aliter, te despiciet, gurgustia adibit,  
sordibus obscenae cauponae fiet alumnus  
desertaque domo frustra suspiria duces.  
Eia, age, rumpe moras, mulier, tibi prospice  
[prudens.*

*En tibi paniculis, quas fert fluvialis arundo  
flexilibus plexas scopas; de more minuta  
sparge pavimentum scobe; post dein verrere  
[perge  
atque instar speculi splendebit coctile stratum.  
Nonne soles Arabi pocillum haurire liquoris,  
matutina tuum linquis cum molle cubile?  
Haec authepsa, cupro scite constructa nitenti,  
consultit ecce tuis omnino commoda votis.  
Accipe queis constat: patet ollula concava su-  
[pra,  
igniferis frustis alitur fornacula subter,  
queis cinis omnis abest, nam flammea glebula  
[tota  
uritur et tenues prorsus vanescit in auras.*

*Hac phiala vero, minime qua difflit aestus,  
(inter namque vitrum duplex, ut ferveat humor  
infragile omnino, spatium intercedit inane)  
decoctum multas calidas servabis in horas,  
sorbilis ut potus tibi numquam copia desit.*

*Heic quoque furcillae, cultri, cochlearia pro-  
[stant,  
omnia perbellae nitido conflata metallo,  
dente quod haudquaquam diro ferruginis estur.  
Quis cucumas quaerit, chrystillina pocula,  
[lances,  
urceolos, cythos, crateras, cymbia, trullas,  
discos et patinas, forma variaque scutellas?  
Omnia vilescent pretio! — Tu sume salinum,  
acris machinulae piperis simul adde molarem.  
Utilis hic etiam fiet tibi saepe calicus,  
ovorum ut possis apalorum laeve putamen  
fulcire et tostis crustis haurire vitellum.*

*Ne vitreos, quaeso, geminos hos neglige gu-  
[tos,  
tortilibus septos clatratis, queis pinguis olivi.  
intiba et acrili tinges aspergine acetii.  
Adde infundibulum quoque, cuius fistula sponte  
obditur, impulsu laticis, ne vase repleto  
exterius liquidi damnum patiare fluentis,  
seriola in parvas cum fundis vina lagenas.*

— Hunc eme mazonomum, bona villica, pin-  
gue minatal  
quo proferre queas carus cum venerit hospes.  
Scilicet est avidis oculis avidoque palato  
gratior esca, super mensam cum fertur honeste.

Atiliumne colis vivaria? Sume catinum,  
instruere ut possis turundas furfure mixtas,  
cum stimulante fame, cavea de more relicta,  
sculpturit impluvio pullis gallina gracillans.

Excipulas habeo varia ratione capaces,  
cacabulos etiam stanno obductoque patellas,  
malluvias, pelves... Quis pro sartagine primus  
est licitatus? ... Habe tibi, sed simul adde ba-  
[illum,

quo fodices ignem. — Mihi, quaeso, credite,  
[cives,  
optima venundo; minime vos ducere dictis  
improbis exquirro, neque sum aeruscator ina-  
[nem

divendens fumum: quae vos segnitia tardat?

Nil heu proficio! Nova porro efferre iuvabit!

— Te, domina, appello. Vis mensae congrua,  
[texta

cannabe, gossipio, lino, mantelia, mappas?  
Haec quadrat egregie concinna subucula pusae,  
hanc adulescenti poteris donare crocotam,  
interulam sed acu pictam largire puellae  
nupturae, carum materni pignus amoris.

— Angitur ingrata tussi raviique laborat  
natus, amice, tuus. Focalia lanea sume  
providus et tenerum circumda gausape pectus.

Lintea, lodices, sudaria, stragula farta  
suppeditare quo: nummos efferte crumenis.  
Ante fores stoream, tegetem prope sternere le-  
[ctum  
condebet, exedrum pictis decorare tapetis.

— Rustice, ni fallor, mihi paetus esse vi-  
[deris.

Accipe nigranti lita vitra ocularia fumo,  
ignea quo caveas rutilantis spicula solis.  
Sed sculponeae opus tibi sunt, cum vomere por-  
[cas  
findis vel sarris, runcas cratisve, deoccas,  
ut calidas serves plantas tellure madente.  
Hisce domi vero crepidis utere moratus;  
calcei erunt apti contra cum veneris urbem,  
lubrica ne subito per strata bitumina lapses.  
Licia bina tibi superaddo muneris ergo.

— Immerito, mulier, quereris quod musculus  
[ante  
cuncta penu libet, quae rure adducit agaso;  
hillas et pernas, botulos et pinguia larda.

Damna cavere potes: cur in munimina cessas?  
Cerne hanc decipulam: redolentis frustula pone  
intus caseoli; furunculus ecce popino  
inscius ingreditur; praedam at dum dente ligu-  
[rit,

ostiolum resilit; confestim pessulus ictu  
concidit instrepitans, egressum et carceris ob-  
[dit.

Desticat infelix tentaque repagula frustra  
captus, et emoriens tutum reminiscitur ervum.

— Grata quidem, multis sed vita referta pe-  
[rictis

est tua, venator, sub divo, solis ad ortum  
cum iuga celsa petis, terra rorante pruina,  
non semel imbrifero, necopino turbine pren-  
[sus,

aucupio indulgens. Quoties cum cacabat agro  
triticeo perdix, merula aut friglit ab ulmo,  
sibilat et turdus, sulco tu mersus in udo  
corde micante manes praedam madefactus et  
[alges!

Accipe perones viscoso ad crura tegenda  
glutine malthatos. Humeros amicire lacerna  
hac potes, obiecta gummi, qua defluus imber  
non meat; assutus pendet de more cucullus.  
Tempore sic etiam pluviali ocreatus, ad unguem  
atque paludatus per brumas tutus abibis.

— Opportuna, puella, venis; quam plurima  
[possum  
quaes tibi praecipue sunt cordi vendere... Rides?  
Me iuvat et pariter te deridere parumper.

Fare, age, queis inhias? Aliud num corde vo-  
[lutas

quam laqueare virum iuvenili blanda lepore?  
Corrigat ars igitur naturae errata novercae,  
fallere summa quidem vitae fallique vicissim,  
quod minime laudo, at ratio haec communis  
[agendi.

Nonne solent fuco nunc temporis ora pueriae  
illita, mercato, praeferre colore venustae?  
(imo etiam nuptae, plaudentibus, hercle, mari-  
[tis!).

Omnis, ne timeas, heic lecta officia venit,  
qua nedum iuvenis, vultus pulcrescit anilis.  
Utere ea et socias inter formosior ibis.

Hac cutis albescet cerussa lactea mire,  
coccineis vero sucis utrumque labellum  
pallidulaeque genae malorum more rubebunt.  
Ut novus indicit mundi inviolabilis usus,  
rade supercilia, assimilem dein suffice utrimque  
caudae lineolam muris; nubecula binos  
in gyrum stibio tenuis lita circinet orbes.

Buxea custodit formae medicamina pyxis.  
Unguibus est magna quoque sedulitate caven-  
[dum!!

Hos modo femmineus minio decernit inungi  
purpureo codex; docilis mandata facesse:  
forficulis reseca (te sane arrodere nullae  
sollicitant curae), parvaque fricare scobina  
ne praetermittas; digiti sed acutulus extet,  
instar lanceolae, minimi limatulus unguis.

Virgineae coma frontis honos: crinalia praestos  
cum discerniculis, calamistris atque coronis  
heic sunt succineis. Potes his crispare capillos,  
pectore caesariem, cincinnos fingere molles,  
unguine et infectos undosi marmoris instar  
in varios torquere sinus, nisi cogere mavis  
in tutulum. Ornatum muliebrem vidulus iste  
denique perficiat, tenui divisus aluta  
in geminos folles, quo una cum pectine condas  
linteolum, fucos, manicas nummosque minutos,  
olfactoriolum comitem speculumque fidelem.  
I, puer, inservi dominae, atque involve segestri  
cuncta; nihil linquas, fac laeta puella recedat.

— Heus, quid agis, baro? tabulam cur pel-  
[lere pergis?

Ecce strues nutant, minitantur paene ruinam!  
Hinc apage extemplo! ... Quid cornicaris, ine-  
[pte?

Protinus abscedes baculo, si sponte recusas.

— Pupulus hocce tuus iamdudum limat ocel-  
[lis

mechanicum, mater, plostellum. Fac satis ipsi,  
ludere quippe decet pueros. Gratissima sane  
subsiliens etiam fuerit pila turgida vento  
folliculusque levis, renuens retinacula lici,  
momine vel minimo sublimis volubilis aurea.

— Te decet hoc, civis, calamo manante potiri  
sensim atramento, suctu quo pone repletur.  
Introrsum tubulo discurrit rite striato  
cochlea parva, manus tenui quae lubrica gyro,  
prout lubet, auratum retrahit vel prodit acumen.  
Exterius praefert electrum fistula pallens,  
ni conchae navis imitata ebene colorem.  
Additur et nucinus, tessellis vermiculatus  
ensiculus capulum, chartas resecare plicatas  
aptus, et oscillum solerter marmore sculptum,  
quo plagulas volucres inopino turbine firmes.

— Barba decus menti, sed eam curare mole-  
[stum  
saepe viro est; patrius promissam reprobat usus;  
non vacat alternis, prohibetque crumena, diebus  
ire ad tonstrinam, morborum saepe scatebram;

dedecet illuvie vultum proferre: quid ergo?  
Macte animo! poteris tuto per te ipse secare!  
Scilicet in promptu conflata novacula miro  
est heic ingenio: tegitur lamella repandis  
denticulis, instar rastrelli, vulneris unde  
inficitis abest cuiusvis ora periculum.

Cum bene molliter saponis spuma pilosas  
undique cana genas, securus radere perge,  
et veluti attactus decurret bractea palpi.

Peniculum, lamnas, saponem et cetera barbae  
congrua ponendae teres haec vaginala servat;  
plumeus hac floccus cyprio cum pulvere theca  
conditur, exsicces faciem quo rore madentem.

— Est iter, haud dubium, cunctis haec vita  
[perenne:

tendimus ignotam, quam pudent funera, me-  
[tam!

Re quoque sed multis et non in imagine tan-  
[tum

volvitur in praesens dirae vertiginis instar.

Ire, redire, iterum proficisci iterumque reverti,  
haec modo quorumdam ratio ingratissima vitae.

Inventa alliciunt etiam nova saepe vagari.  
Obsoluere ab equis devecta petorrita anhelis,  
essed, pilentum, serracum, biga, quadriga.

Agmina currum aquae nunc explodente vapore  
concita discurrunt, populos populisque propin-

[quant;  
ignifero motae cursum per strata viarum  
praecipitant oleo rheda: furor urget eundi!

Nubivagae properant etiam regione carinae  
aligeraque schaphae non ante meabilis aethrae.

Nescio quid porro mens gnara effingere possit,  
Te quoque forsan agent operosa negotia civis,  
saepius extorrem: tibi commoda rite parato.

Exhibeo avertam vitulino tergore sutam,  
in variis veluti digestam hinc inde locellos:  
heic sternes vestes, soleas hac parte repones;  
heic libros et ephemrides; sitarchia vero,  
cetera ne temeret, supra statuatur in ora.  
Bina superficiem coriacea segmina cingunt,  
pondere verticalae nimio ne forte faticant.

Laeve manubriolum prodit de more superne,  
commode ut a gerulo, cum rhedam scandis itu-

[rus  
discedisse, domum repetens, statione, vehatur.  
Sarcinulas vero, tibi quarum est crebior usus,  
quasque decet manibus merito prohibere pro-

[fanis.  
excipiet tela manualis operta picata  
mantica, quae dominum quocumque sequetur

[euntem.

*Accipe, da pretium, merce empta laetus abito!*  
 — *Huc propius, sodes, venias cui turget  
 [omasum,  
 quique duplex preefers mentum: quod discipis  
 [exstat!*  
*Hoc eme scimpodium iucunda obllvia vitae  
 quo temere accumbens trichilae sub tegmine  
 [duces.*  
*Quid mussas? renuis? mala, vae mihi, tem-  
 [pora currunt!*  
*Heu cecini surdis! longo clamore labore,  
 comiter at nemo mihi porro commodat aurem.  
 Scilicet ampullans veterator creditur: omnes  
 certatim currunt, intentaque pendet ab ore  
 expilantis eam facilis plebecula falli.*  
*Me nihil contra pendunt et spernor inique!  
 Sed scio quid faciam! Terram indignatus ava-  
 [ram,  
 protinus abscedam: Batavas proficiscar ad oras,  
 gens ubi pulcrarum cultrix est inclita rerum,  
 praemia virtuti largitur et aestimat aeque.  
 Inde domum referam quoddam fortasse numi-  
 [sma-*  
*Coge, puer, merces, convasa, digere cun-  
 [cta  
 automato carro: Batavas properemus ad oras!*

## HOMINUM FASTIDIA

*Vita hominis vapor est ad modicum pa-  
 rents.*

Haec in sacris libris. Atque utinam vapor hic ascendens a solo et purus et dignus aethere ascenderet, et luce solis iridesceret, et in pace evanesceret! Palidis halitu saepe turbidus, interdum foetidus hos contagio inficit, illos mortifera obruit umbra, procellis undequaque saevientibus, turbinibus irruentibus quasi monstris dilaceranda praeda, hac illac circumfertur, ac dissipatur. Qua de causa scite, etsi acerbe et vere, vitam dixit philosophus continentem seriem dolorum, exordientem ploratu nascentis, deficientem supremam lacrima morientis. Hinc est illud Horatii:

*Qui fit Maecenas ut nemo, quam sibi sortem  
 Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
 Contentus vivat?*

Optime respondet Ovidius: quia *nitimur in vetitum... cupimusque negata; atque ideo nemo sua sorte beatus.*

Duplex itaque fastidiorum genus, saepe hominibus intolerabilium. Alterum, quod quisque sibi parat sciens, volens, et prudens, immo callidus, diligens, et industriis; alterum, quod singulis, aut sponte, aut ingratias, ferendum datur, cuiusmodi sunt invidia civium, surditas, caecitas, infirma corporis membra, et cetera naturae, sive nobis intimae, sive nobis externae, mala, denique mors. Hisce nos aut acquiescimus, aut repugnamus, et modo minuimus, modo repellimus vel voluntario exsilio, vel medicamentis, demum patientia, qua laevius fit interdum quidquid vel corrigere, vel abiicere non valemus. Amandatis potremus his, quae tamen neque pauca numero, neque exigua mole fastidia sunt, priora illa vitae recensemus fastidia, quae nobismetipsis nos multo saepe studio comparamus, quasi nec multa, nec gravia essent, quae secum rapit mortalis conditio. Quae conditio talis est ut nulla curis aetas careat ab ortu ad senectutem et senium. Videmus namque infantulos, etsi lacte expletos, etsi munditie florentes, etsi nutrictis inter ulnas et manus et oscula blanditos, nescio de quo dolere, requiem inventire non posse. Quousque tandem? Donec fessi motu, fletuque ipso fessi, somno quiescant.

Atque hic quotidiana praetereo, quae iam ab inde dolore misellos afficiunt, curisque laniant. Quoties famelici, sitibundi materna petierunt ubera plorantes desolati! Quoties vel absentem vel abeuntem ineffabili gemitu lacrimisque proseguuntur! Quoties, matre blandiente pueris visitantis amicae, palluerunt invidia, zelotypi exclamarunt, et amarissime doluerunt!

Ista quotidie, donec pede certo vestigia signent. Tunc puer gestit paribus colludere, verba reddere... felix! qui nescit se brevi abripiendum ad scholas, ibique, etsi

standi impoti, horas tamen perpetuas sibi ducentas immobili; ibi vi disset quae nolit, quae repugnet, admittet, liberi aëris desiderio tabescens.

Iamque agas in duriora actum iam per exosa. Gauderet equis, canibusque et aprici campi gramine, gauderet exlex, gauderet custode remoto, gauderet... Miseria est non habere quae desideras, et horum desiderio perire; magna calamitas est impatienti coercitiones et poenas instinctus luere; infortunium acerba, magistro stimulante, verba sentire. Quis neget miserrimum esse puerum ad annos usque adolescentiae curis quotidianis distentum?

At ubi viriles induerit vestes, ubi inter homines versari cooperit homo, nova surgunt fastidia, taedia nova consurgunt. Praestare videbit aequales et aemulos, et ad honores irrepare et lucra consequi non casu, non merito pro bene factis, sed commendatione hominum et feminarum, sed intuitu fumosarum imaginum maiorum suorum, sed benevolentia iniusta magistratus. Videbit ista quotidie et quotidie ingemiscet; atque utinam non videat se fraudibus circumventum, calumniis obrutum, atque apud eos, qui possunt, tetrorimo descriptum lapillo. Quorsum haec? Donec oppressus intereat bili, donec locum cedere coactus sit non virtuti praestantiori, non innocentiae, sed fraudibus industria nefaria paratis, quibus assuescit aeger desperantis Bruti sententiae, demissam caelo in terram a superis esse virtutem, quam non ipsi tuerentur, sed quam improbitatibus darent victimam atque ludibrium. Tum necessitate repugnandi, exemplo trahenti in perniciem, triumphantibus victas dabit manus. Quas quum dederit, quum et ipse potitus erit imperio iisque abundet et affluat, sine quibus videtur voluptuosa et iucunda vita non posse consistere, laceante conscientia scelerum, recordatione mordente semper, non erit pax ulla sed bellum, non erit quies sed diuturnum in-

sommum ultricibus Manium umbris saepe recursum. Deliciis assuetis obstupescunt sensus, hebetatur animus, iamque praetergressi, quae habemus, in ea quae vel negantur, vel non habemus, contendimus.

Quae omnia quum sint pluribus explorata exemplis, non illis Horatii carminibus egent ut apertiora patescant, ubi ait:

*Contracta pisces aequora sentiunt  
 Iactis in altum molibus; huc frequens  
 Caementa demittit redemptor*

*Cum famulis, dominusque terrae  
 Fastidiosus; sed timor et minae  
 Scadunt eodem quo dominus, neque  
 Decedit aerata triremi,*

*Et post equitem sedet atra cura.*

Quae minae? Adlatrantis aeternum et mordentis conscientiae scelerum; magnae enim opes, magna latrocinia; quippe, vel ethnico, Poëta monemur:

*Criminis admissi prima haec est ultio, quod se  
 Iudice nemo nocens absolvitur.*

Quinam timor? Mortis, inquam, amissime separantis, quae dum

*Aequo pulsat pede  
 Pauperum tabernas, regumque turres,  
 Sceptra lagonibus aequat.*

Atque timor hic, et huiusmodi minae si quemque infelissimum faciant, etsi toto corporis robore et firma valetudine florentem, pree ceteris afficiunt senem in annos proximiores morti indeprecabili dilabentem. Accedunt enim morbi, accedit moeror, accedit quotidie crescens debilitas, et sensuum stupor, quo hebescit oculorum acies, aurium perceptio, narium et palatus titillatio, quibus non ultra flores educant horti, non fructus

uda  
*Mobilibus pomaria rivis.*

Age nunc et quotidie morituro para convivium!

*Districtus ensis cui super impia  
 Cervice pendet, non Siculae dapes*

*Dulcem elaborabunt saporem,  
 Non avium, cytharaeque cantus  
 Somnum reducent.*

Haec hominum fastidia, quae saepe pro priis quaesita manibus mors absolvit, atque id praesertim in iis exercet, qui vi dentium consensu et felices censemuntur, et beati nominantur.

Contra, durant in fastidia fortes, qui humiliore loco vel nati, vel viventes, ruri campisque dant operam, contenti parvo, nec

*Valle permuntant Sabina  
Divitias operosiores.*

Siquis me roget qua de causa districti laboribus, et interdum exigua re familiari dolentes minus vitae fastidia sentiant et experiantur, et fere nunquam violentas in se manus iniificant, causam proferam brevioribus verbis: quia a Deo inter haec fastidia positi divinae ordinationi acquiescent, et intuentes in eum, qui Pater est totius consolationis, illud Augustini prae oculis et in corde habent: « Fecisti nos, Deus, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te! »

P. d. V.

## ANNALES

### Politica itinera

Proximus mensis iulius duobus politicis itineribus notabilis evasit. Hungarici administratorum consilii praeses De Imredy cum exterorum negotiorum administro De Kanya Romam petiit ad vetus foedus Hungariam inter atque Italiam confirmandum pro pace et iustitia, quibus uterque populus civilem rationem suam informat. Hospites et Summum Pontificem ad castrum Gandulphi inviserunt, qui Hungarorum fidei vehementer est gratulatus, nuper et in Eucharistico universalis conventu Budapestini habitu et in centenariis S. Stephani, Hungarorum regis, sollemnibus palam praestitae.

In Galliam se contulerunt Anglorum rex et regina; qua quidem visitatione duorum

populorum amicitiae vincula adfirmari voluerunt. Tum etiam colloquia habita sunt inter exterarum rerum utriusque nationis administratos ad communem voluntatem ratam faciendam operis non intermittendi conciliationis in politicis quaestionibus Europam agitantibus, in primisque Cecoslovatica.

### Cecoslovachiae discrimina

Huius mentis confirmationis indicium in missione videmus Runcimani, quondam Anglicis Commerciis praepositi, qui Cecoslovaticam rempublicam petivit, tamquam interpres a partium contendentium studio omnino alienus. Interim Sudeti reclamationes suas apud publicarum rerum moderatores obtulere, qui eas contra civitatis leges et provocatrices declararunt, quem proposita sua aperire morantur.

### Pactio inter Balkanicas gentes et Bulgaria

Inter Balkanicas gentes et Bulgaria, e contra, convenutum est ut, sublatis omnino militaribus exceptionibus foederis apud Neuilly post Europaeum bellum initi, Bulgaria ipsa suam recipiat integrum libertatem summumque sui imperium.

### Bellica

In Sinis, dum Iaponii hostes ubique superant, res implicantur; Galli enim insulam Paracelso occupant sub specie tutandi negotia piscatorum Indocinae; Russi autem, ad fines Mandchouriae, Chang-Kufeng colles suis copiis muniunt, asserentes locum suae ditionis esse: inde praelia inter utrumque exercitum. Rem vero ad compositionem dirigi recentissimi nuntii referunt.

In Hispania novae « Nationalistarum » victoriae in Estremadura nunciantur, fusaeque adversariorum copiae ubi hostimentum tentaverint.

In Palaestina atrocia Hebraeorum Arابumque facinora perdurant. Fama vag-

vit, Anglos auctores futuros ut duo Status ibidem constituantur, alter Hebraeus, Arabicus alter, a Hierosolymitanis, quas vocant, mesaulis seiuncti, a quibus exclusi forent Hebrei, quaeque sub Angliae ditione mansurae sint.

### Rumenorum luctus

Magno cum Rumenorum comploratu, — et iure quidem ob insignem, qua semper flagravit, in populum charitatem, — vita functa est Maria, Caroli regis mater, tres supra sexaginta annos nata.

POPLICOLA.

## VARIA

### Unicum debere exercitui imperatorem praefici, non plures<sup>1</sup>

Quum Fidenates defecissent, colonosque Romanorum occidissent, creati Romae sunt quatuor Tribuni militum consulari potestate, quorum unus ad Urbis custodiam relictus, ceteri, delectu habito, ad confiendum id bellum profecti sunt. Sed iidem hi, quum diversis sententiis agerentur, locum hosti aperuerunt ad rem benerendam. Nam quum alii signum dare, alii receptui canere iuberent, milites incerti utris obtemperandum, a Veientibus pulsi, in vicina castra se receperunt, ita ut ignominiae plus, quam clavis acceperint. Ob quam causam moesta civitas odisse Tribunos, Dictatorem possere, in eoque spem positam habere coepit.

Atque hinc licet observare quam periculosem sit, ut plures imperatores exercitui praeficiantur, sive domi patriam defendere, sive foris bellum gerere oporteat, ut recte Livius de hac re dixerit: « Tres consulari potestate creati Tribuni militum do-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

cumento fuere, quam plurium imperium bello inutile esset ». Tendendo enim ad sua quisque consilia, aperuerunt ad occasionem locum hosti.

Sed recentibus exemplis idem comprobari potest.

Ludovicus XII, Galliae rex, recuperato Mediolano, anno Servatoris nostri MD, exercitum misit Florentinis auxilio ad Pisas recuperandas. Ei quum bini duces, Ioannes Baptista Rudolphus et Lucas Antonius Albitius praeficerentur, hic, iunior quum esset, alteri honorem deferebat et omnia pro arbitrio administrare permittebat. Sed interim hoc ipso ambitionem suam satis declarabat, quod nullo modo collegam iuvaret, et ad omnia, quaecunque ille faceret, tacebat, perinde ac si rei bellicae plane imperitus esset. At quum aliquanto post Baptista Florentiam revocaretur, et Albitius totum imperium iam penes se haberet, tunc demum industriam virtutemque suam declaravit; quae omnia, praesente collega, ambitione quadam permotus, demonstrare nolebat, ne fructum suae virtutis ei tradere videretur.

Huic exemplo simile est quod Livius alio loco dixit, Populum Romanum adversus Aequos olim Quintum et Agrippam imperatores delegisse; sed Agrippam voluisse ut omnis belli administratio, magnarum rerum, summa imperii apud unum esset. Secus autem faciunt aetate nostra tum Principes, tum Republicae, qui ad gerenda bella plures imperatores aequali potestate diligere consueverunt, non sine maximo sui detimento. Equidem si quis causas considerare velit tot cladem, quas aetate nostra cum Italici, tum Gallici exercitus acceperunt, ex plurium imperatorum discordia maiorem partem earum evenisse compcriet; ut satius esse videatur unum eligere imperatorem ad confiendum bellum cum mediocri rei militaris peritia, quam plures praestantissimos, qui dignitatis gradu eodem imperent.

**Vulpes et Anguis**

Famelica Vulpes, cibum quaerens sibi, discurrebat per sylvas et campos, ac forte calcavit Anguem, a quo icta quum esset, magno dolore et indignatione concitata, morsu illum sauciatus, atque ita laesi ambo tum quidem discedunt medicinam quaesituri vulneribus suis. Post aliquot tempus obviam Vulpis factus Anguis, animo memori et cupido vindictae Vulpem verbis aggreditur, et: — «Quantam — inquit — tristitiam cepi de dissidio nostro! nec quicquam ex illo tempore, quo simultas inter nos exstitit, maiori mihi curae fuit, quam ut gratia nostra reconciliaret; ac post illa te quidem nunc video primum. Quare, si videtur, oblivious priorum, interque nos amantes complectamur, qui pridem hostiliter appetimus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuscumque generis ac conditionis, expetendum quam pax et concordia? Quae alia res melior, utilior, iucundior esse possit? Haec omnia et conservat praestatque incolumia ac salva, et auget atque bonis multiplicibus complet; haec vere illa est, quae opes, divitias, vitam denique ipsam et parit, et nutrit, et educat. At quid multis opus? Nullum est bonum in terris pacis bono praestantius, neque optabilius». Haec locutus, ad osculum se erigere Anguis, et Vulpis oculis blandiri. Illa vero Angui non credidit, quem sciret natura esse implacabilem, et cum saevum, tum etiam malitiosum. Itaque tum aversata: — « Sic ut loqueris est — inquit —; sed ut pace vera nihil melius, ita facta deterrima res est rerum omnium. Hoc enim venenum quadam dulcedine opinionis pacifcae conditum hauustum subito necat. Neque ullae possunt inimicitiae et bellum tam nocere, quam simulata benevolentia et pax. Haec publicas et privatas res, haec salutem, dignitatem, vitam fortunasque evertit ac pessumdat. Nam inimico et hosti nemo credit; ideo-

que ab his non fallitur neque decipitur quisquam. Sed illa fucata verba et species honestissima bonitatis, ea in fraudem peritiores impellunt, ea simplices inducunt in errorem atque miseriam. Ac tibi quidem laudatori pacis tantum esse responsum volo. Ad reconciliationem autem gratiae et amicitiae nostrae quod attinet, ita habeto, neque me postea quae accidere memini, tibi unquam ex animo credituram esse, neque arbitrari te mihi, ut fidem habeas, facere posse».

Fabula monet incertam et dubiam esse voluntatem eorum inter quos magnae inimicitiae et graves simultates intercesserint.

**Pro iudicibus mensarum elegantibus**

ESCARUM ORDO:

*Pasta regia in iure fluitans.  
Mulli barbatuli fricti.  
Botellus spumosus ex caseo.  
Gallina variis obsoniis farta.  
Mala cidonia in mulso decocta.*

**locosa**

Tuccius librum quemdam legens, his verbis occurrit: «Oportebat eventus fieri maturos». Ad matrem tunc conversus: — Mamma, inquit, quo anni tempore eventus maturant? Volo enim eos abunde gustare.

TUCCIAS tabulam contemplans, in qua nonnulli pueri nigritae depicti sunt:

— O vos felices — inquit — quorum mater ignorare debet utrum vultum manusque vestras ablueritis!

## IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

**REGULUS**

[29]

**ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN**

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Itaque per vos sublime efferatur in fastigium  
Nomen Romanae civitatis atque extollantur simul  
Vires nostrae a tutelam amicorum hostium periculo.  
SEX. Heus tu, Crispe, prospecta sis Publum, qui mortuos  
Magis videtur, quam vivos. — CR. Mihi res non placet.  
SE. Mea voce excitabitur. — MA. Regulus consenuit maxume.  
TU. Num id miraris? — SE. Iam sunt in suggestu; vocem tollite.  
PO. Salve, Metelle consul et salvos sis, Regule!  
ME. Est decretum, Quirites, ut Karthaginensibus  
Tum pax modo daretur, si totam nobis concederent  
Siciliam; nam quom captivei cum captiveis aut exercitus  
Cum copiis redimi finito bello non queant,  
Senatum condicioneis arrogantis hostium  
Aequum erat hoc ipso decreto contemnere.  
Et nunc ego consul, postquam votum tribunus Publius,  
Pro munere publico meo civis omnis interrogo:  
Velitis iubeatisne? Iubete, Quirites, modo;  
Karthaginenses milites domum mittentur liberi;  
Istuc modo considerate nondum de illis militibus  
Ablutum esse Romanorum cruentum civium  
Et si stulte illos liberos dimiseritis domum,  
Sanguis Romanorum russum fluet. — SEX. Audite Publum,  
Quirites, sultis; quid, si quid grave dicturus est?  
CR. Consul, sine illum loquier. — PO. Loquatur — ME. Loquere.  
PU. Meam si, Quirites, orationem maxumo  
Populo hocque dignam non putaritis loco,  
Reputate sultis me viri esse istius filium,  
Qui in fine vitae, in qua egregiam vobis operam dedit,  
Non pol aliud a vobis impetrabit praemium,  
Nisi ut canum illius caput per carnificum manus  
Karthaginem in harena truncatum iaceat.  
Vae nobis, Quirites. Sicine viro fortissimo  
Donum datis? — MA. Vae nobis! — TU. Nunquam! — SEX. Estote in  
speculis.  
PU. Quonam tandem modo moveam nunc vostros animos?  
Si quis alias, non meus pater, vir esset is fortissimus,  
Fervore pol meus caleret sermo, sed dolor  
Omnem mihi eripuit facultatem et loquundi copiam.